



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis**

**Asseburg, Wilhelm Anton von der  
Paderbornae, 1764**

XV. SS. Viti & Soc. MM. Dupl.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)



*Die XV. Junii.*

SS. VITI ET SOCIORUM

MARTYRUM,

Duplex.

*Omnia de communi plurimorum M.  
prater sequentia.*

*Oratio.*

Da Ecclesiæ tuæ, *ut in Breviario.*

*Lectio I. Noct. de Scriptura.*

IN II. NOCTURNO,

*Lectio IV.*

Vitus admodum puer, *ut in Breviario.*

Re. Sancti tui.

*Lectio V.*

Quos ubi, *ut ibidem.*

Re. Verbera Carnificum.

*Lectio VI.*

Quotiescumque fratres, *de com-  
muni Mm.*

Re. Tamquam aurum.

IN III. NOCTURNO,

*Lectio sancti Evangelii secundum Lucam, c. 10.*

*Lectio VII.*

**I**n illo tempore: Dixit JESUS disci-  
pulis suis: Qui vos audit, me  
audit: & qui vos spernit, me spernit.  
Et reliqua. Ho-



Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

*Lib. 3. in Luc. 10. cap. 42. paulò ante finem.*

**U**t in audiendo quisque vel spernendo Evangelii prædicatore, non viles quâique personas, sed Dominum Salvatorem, imò ipsum Patrem spernere se vel audire disceret, ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. Quia procul dubio in discipulo magister auditur, & in Filio Pater honoratur. Potest & ita intelligi: qui non facit misericordiam uni de fratribus meis minimis, nec mihi facit; quia & ipse pro his formam servi, & pauperis habitum suscepi.

R. Propter testamentum Domini, & leges paternas, sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: \* Quia unus fuit semper spiritus in eis, & una fides. V. Ecce quàm bonum

& quàm jucundum habitare fratres  
in unum. Quia.

*Lectio VIII.*

**R**eversi sunt autem septuaginta  
duo cum gaudio, dicentes: Do-  
mine, etiam dæmonia subjiciuntur  
nobis in nomine tuo. Benè quidem  
confessi sunt, deferentes honorem  
nomini Christi; sed quia infirmâ ad-  
huc fide gaudebant in virtutibus,  
vide quid audiunt. Et ait illis: Vi-  
debam satanam sicut fulgur de cælo  
cadentem. Non modò video, sed  
priùs videbam, quando corruit.  
Quòd autem ait, Sicut fulgur, vel  
præcipitem de supernis ad ima lapsum  
significabat; vel quia dejectus, ad-  
huc transfigurat se in Angelum lucis.

*R.* Sancti mei, qui in carne posi-  
ti, certamen habuistis: \* Mercedem  
laboris ego reddam vobis. *Ÿ.* Ve-  
nite benedicti Patris mei, percipite  
regnum. Mercedem. Gloria Patri.  
Mercedem.

*Lectio*

*Lectio IX.*

**E**cce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones. Hoc est, omne genus immundorum spirituum de obsessis corporibus ejiciendi. Quamvis & ad litteram rectissimè possit accipi: siquidem & Paulus à viperâ inuasus, nihil adversi patitur. Hoc sanè inter serpentes, qui dente: & scorpiones, qui caudâ nocent, distare arbitror: quòd serpentes apertè lævientes, scorpiones clanculò insidiantes, vel homines, vel dæmones significant. Serpentes, qui inchoandis virtutibus venena pravæ persuasionis objiciunt: scorpiones, qui consummatas virtutes ad finem vitiare contendunt. Verumtamen in hoc nolite gaudere: quia spiritus ejicere, sicut & virtutes alias facere, interdum non est ejus meriti, qui operatur, sed invocatio nominis Christi hoc agit. Te Deum.

*Die*